

3- bis in illorum desiderantibus historia propitius a deo clementiae tuae fauor affuerit. Debetur & hoc pri-
 4- uatim meo quoque nomine singulari tuae pietati, quod vitam toties alioqui nutantem, in hac tanta,
 quantam tu solus nouisti, laboris immensitate conseruatam tuo uolueris beneficio. Verum illud in pri-
 mis omnes debemus pariter effusissimo tuo in nos amori, quod beatorum Martyrum tuorum, quos
 mundi huius ad flammam & cineres adegerit peruersitas, causam & innocentiam uelut è cinere recol-
 lectam, in lucem denuò notitiamque ecclesiae tuae reuocare at patefacere dignatus sis. Etsi enim dubi-
 um non est, quin in supremo illo iudicio tuo, quum uirtutes caelorum mouebuntur, omnis eorum ad
 amissum excutietur causa ante tribunal tuum, est tamen aliquid hic quoque in ecclesia tua causam ipso-
 rum, facta, uirtusque uirtutes caeteras non ignorari. Tunc autem ad illos uerior gloria, ad nos interea ma-
 ior redundabit fructus, quando ex ipsorum recte factis, integritate, innocentia, fide ac patientia con-
 flare poterit, non quid ipsi solum fecerint, sed quid & nobis eorum sit exemplo faciendum.

Deploratio
 nostrorum mo-
 rum et tempo-
 rum.

Sed hic rursus (dulcissime Iesu) opus est benigno fauoris tui praesidio. Nos enim qui filij Marty-
 rum tuorum sumus, quosque maximè maiores nostros imitari conueniebat, nunc nihil ferè parentum
 tenemus, praeter vitae solam hanc, quam suo partam sanguine reliquerunt, libertatem: qua etiam ipsa
 nimium abutimur intemperanter, ut iam periculum sit, ne non filij modò Martyrum, sed ne fratres
 quidem ipsorum haberi mereamur. Quantum enim interfit discriminis, quamque profusus disconuenit
 ordine toto nostra consuetudo ab illorum uestigijs & disciplina, pudet profectò referre. Sed quid ego
 tibi referam, cuius nihil non perspicit maiestas ac intuetur? Quanto illis studio ac curae fuit amore
 tui, caetera quaeque, adeoque seipsos ad uitae etiam contemptum abdicare, mundum cum omnibus desi-
 derijs flocci facere, uoluptates tanquam nugas spernere? Nec sinebant pericula undique imminetia
 opibus congerendis multoque minus honoribus cumulandis vacare. Contra uero nostra nunc uita, stu-
 dium, omnisque adeo contentio, quid nisi mundum spirat, quid aliud quam perpetuum quoddam flux-
 arum rerum, opum, ac honorum aucupium uidetur & ambitus? At illi quam praecclare secum actum
 putassent, si uel uiuere modò licuisset. Ideoque multi fuere eorum qui Mariae Reginae facultates & possessi-
 ones omnes ad usque extremum assem obtulerunt, dummodo solam ipsis remitteret conscientiam. Et que
 nos tanta haec habendi intemperies exagitat, quibus nec vnus nec mediocris victus possit esse satis?
 Sine modo, sine fine opibus, sacerdotijs, censuque, dilatando inhamus. Quanto ambitu amicos fatiga-
 mus & inimicos, non ut uiuamus solum, uerum ut sublimes uiuamus & honorati? De fide, de mansue-
 tudine eorum, tolerantia, simplicitate ac patientia incredibili, quid dici satis potest? Quanta constan-
 tia, qua animi alacritate perpassi sunt quicquid infligebatur, uindictam omnem deo remittentes, cui
 & causam commendabant? Nulla vis eos aduersariorum deicere, nec minae frangere, non ludibria
 mouere, non pericula, non tormenta ulla consternere, nec delinire blanditiae potuerunt.

Quanta dege-
 neratio nostro-
 rum nunc homi-
 num, ab exem-
 plis superiorum
 Martyrum.

Componamus nunc nostram cum his mollitiem. Sed pudor prohibet, Nam quae tam leuis nos
 tentationis aura afflare possit, quae non illico praecipites ac transuersos rapiat in auaritiam, in fastum,
 voluptates, turpitudinem, uindictam, & in quid non malorum? Quae tam leuis obijci poterit iniurio-
 la, pro qua non caelum terrae miscemus, mariaque turbamus ab imo? Ex quo in promptu est colligere,
 quantum ab eo absumus, ut mortem simus unquam, tua causa subituri, si quando res Martyrium flagi-
 tet, quum nec affectus quidem istos tuo amputare iussu uelimus. Quapropter ut Martyrum quidem
 illorum causa gratias agimus nomini tuo sancto: ita nostra uicissim causa deprecamur, ut qui largitus
 sis ipsis uincendi facultatem, nobis itidem pia eorundem exempla imitandi foelicitatem aspices: sic-
 que ecclesiae tuae affulgeat tua gratia, nec ubi seducti huius mundi illecebris, secordiores ipsi in reti-
 nenda Euangelij tui uictoria, quam illi in comparanda strenui, uideamur. Postremo quoniam histori-
 am hanc tuo nutu ac uoluntate aggressi, in ea re operam studiumque posuimus, quo facta gesta que
 sanctorum tuorum (sanctissime Iesu) ad nominis tui gloriam, & in commodum ecclesiae
 publicum emergerent, adde nunc labori fructum, simulque historiae tutelam in te reci-
 pias magnopere petimus, cui & opus ipsum, totumque me ipsum, quem tot mo-
 dis tuae misericordiae debeo, toto corpore & anima, totisque uiribus com-
 mendo, dedico, consecroque, cui omne cadat genu, omnisque
 vox & lingua confessionis gloriam per omnes ecclesias
 tribuat personaeque. Amen.

Necessaria pre-
 catio.

